



M. Salvat fecit. Annus x la Cia. x S. Philipe.

AMPLISSIMO

VETVSTISSIMAE, PRAECLARISSIMAEQVE

SAETABENSIS QVONDAM, NVNG

S. PHILIPPI VRBIS SENATVI

D. D.

Gaspari Pascual de Bonanza, Fernandez de Mesa, Regii, ac Militaris Ordinis B. M. V. de Montesia, & S. Georgii de Alfama Stemmata Equiti, Regiorum Excercituum Chiliarchae, Gubernatori, atque Praetori Urbis, omniumque eius Ditionum.

Sollertissimis Reſtoribus.

- D. Francisco Cebrian, & Berenguer, Signifero Maiori, atque Rectorum Decano.
- D. Gerardo Llazer & Belbez.
- D. Iosepho Sanchis & Exea.
- D. Iosepho Baldovi & Castillo.
- D. Carolo Ruiz & Alarcon.
- D. Thomae Iacinto Aliaga & Blesa, Regiorum Cons. Advocato I. V. D.
- D. Francisco Agullo & Cebrian, Montesia-nae Militiae Equiti, & apud S Inquisitionis Tribunal Apparitori.

D.



- D. Vincentio Pelegrero & Sanmartin, rei For-
rensis Pretori primo.
- D. Genesio Terris & Trobat, Reg. Cons. Ad-
vocato I. V. D.
- D. Christophoro Chaves & Bravo.
- D. Iosepho Thomae Roca & Medina, I. V. D.
- D. Vincentio Olzina & Sanchez.
- D. Mariano Gazó & Rubio, Reg. Cons. Adv.
Regio Apparitori, atque Rectori Honorario.
- D. Antonio Fuster & Piquer, Bachal. Adv.
à Consil.
- D. Thomae Moxica & Noguera, I. C. D.
- D. Michaeli Esbet & Ortiz, Fidei prop.
Cens. Numerario.
- D. Antonio Pueyo & Cuevas.
- D. Francisco Carrizo & Perales, Procurato-
ri generali, & in rebus ad commune bo-
num pertinentibus, primam gerenti Per-
sonam.
- D. Ludovico Meliana & Irlés à Secretis fide-
lissimo.

Per-

*P*eriuenda, honoreque cumulatissima, Cl.
P. PP. mihi contigit sors, cum meae Provin-
ciae suavissimus Praesul ad concertandum pu-
blice de rebus Theologicis me delegit. Verum
enimvero ubi certior sum factus, sub tui no-
minis potentissimo auspicio futuram disputa-
tionem, sol (mibi credite) arrisit fulgi-
dior, totumque negotium ad umbilicum usque
auspicato perducendum, omni dubio procul
sui ratus. Quis enim nescit debiliam animos
levari potentium favorabili fulcro? Quisque,
& si Aristarcus, ibit inficias Saetabitanam
Urbem (cuius vos Praesides estis) singulis
optimi Maecenatis dotibus fulgere? Si enim
veneranda desideratur antiquitas: sub Her-
cule Egiptio Saetabis fertur condita anno an-
te Christum natum 1718; inde in perbetus-
ta marmorea tabula incissum illud pentame-
tron: Saetabis Herculea condita diva manu.
Simoeni robur, Arcisque fortitudo, pu-
niquorum aetate belorum ab Annibale Carta-
ginensium praeclaro Duce magni fuit habita.
Augustaeum nomen Octaviani Caesaris Au-
gusti gratia; Valerium, Valeriani Imp. do-
no, ut non nemo scripsit, fuit sortita. Sub
M. Constantino, sub Wamba Gotorum Re-
ge,

ge, Sede Episcopali praefulsit: Saetabencian-
 que nomina Praesulum adhuc indelata pers-
 tant apud Conc. Toletan. Authographa, quae
 Hispali Arisque Sexiranis servantur. Haec
 enim omnia, & alia plurima Coeli, scilicet,
 grata temperies; soli mira foecunditas; salu-
 brium fontium ingens multitudo; Arborum
 uberrimi fructus; Malorum praecipue puni-
 corum dulcissima poma Iacobum I. Aragonum
 Regem invictissimum impulere, ut tantam Ci-
 vilitatem à Maurorum eriperet servitute anno
 1244; ipsamque alterum Regni Valentiae ocu-
 lum adpellaret. Quid ergo iam memorem agri
 Saetabitani praexcellens linum? Quid prisco-
 rum Saetabensium artem textrinam? Quidve
 delicatissimi papyri Arabum insignem Fabri-
 cam? Haecine Festus, Claudianus, Oribe-
 lius, Mela, Historicique domestici uno ore
 fatentur. Silius Italicus, vel solus pro omni-
 bus verba faciat: atque atrix celza mittebat
 Saetabis arce: Saetabis, & telas Arabum
 sprevisse superbas; & Pelusiaco filum com-
 ponere lino.

Parvi sunt equidem ista momenti. Pul-
 chriora latent. Maiora nos vocant. Honor fi-
 liorum nonne est gloria Parentum? Exultat
 gaudio pater iusti, qui sapientem genuit, le-
 ta-

tabiturque in eo; in Proberbiis scribebat Sa-
 lomon. Quenam ergo ex Urbibus Saetabensis su-
 perabit gloriam? Haec enim est Urbs perfecti
 decoris, gaudium Hispanorum terrae; quippe
 SS. Felicis, Archiloquii, & Fortunati fidei
 praedicatione plantata; illustribus Saetabita-
 ni celeberrimi, sub Liuva Rege, Monasterii
 exemplis rigata; ubi SS. VV. & MM. Basi-
 lissae, & Anastasiae extitit gloriosa parens,
 incrementum honoris maximum accepit: His-
 ce etenim duabus, Herculaeis altioribus, sub
 nixa columnis, ad usque olympi apicem iure
 optimo extollitur. Quid? E quatuor, quos Ro-
 mae dedit Iberia Pastores, duo Valentini, III,
 nempe, Calixtus, atque Alexander VI. saeta-
 bi primam lucem viderunt; Saetabi lustrali-
 bus decorati fuere lymphis. Saetabitani perin-
 de existere Rom. Eccl. Ampl. Card. Petrus Ser-
 ra tit. S. Ang., Iacobus Casanova tit. S. Steph.
 in monte Celio, Franciscus Borgia tit. SS. Ne-
 rei, & Achillei. Mitto illustrissimos Reipubli-
 ce Litterariae cives Honoratum Ioannem, Ma-
 luendam, Pereram, aliosque Saetabenses; ip-
 sorum etenim lucubrationes ab omnibus aesti-
 mantur dignissimae cedro. Quid enim faciam?
 (verbis utar Enodii) Cui foecunda actuum tuo-
 rum seges occurrit, ubi universa eligentem su-
 pe-

perant : nescio quas aristas inferam , quas relinquam Te unice (Ampl. Senat.) Isidori Pelusiotae coloribus depingam : cum sis moderationis delubrum , domicilium prudentiae , fortitudinis arx , metropolis iustitiae , humanitatis penus , mansuetudinis sacrarium , & uno verbo : virtutum omnium thesaurus. Suscipe igitur hanc exilem mei , & Provinciae nomine significationem , adfectum respiciens , minime census ; eamque in aeternum devincti animi argumentum , in perpetuam debitoris obligatissimi Syngrapham , in amoris ardentissimi tenae signum atque in desiderii obsequiosissimi constantissimum pignus , offert ex animo , Dicat ex debito , Dedicat ex amore

S. C. V. M. P. N.

Fr. Emmanuel Lazaro.

THEOLOGIAE FONTES.

Theologia , scientia nempe illa longe omnibus excellentior , quae omnium consensione sermo de Deo appellatur , fontes quosdam habet , ex quibus argumentationes omnes suas eruit , vel ut fidem tueatur , vel ut morum astruat regulas , sive ut fidem , moresque ab haereticorum , & quorumcumque hominum liberet corruptelis. Verumtamen , quum principiis à Deo traditis nitatur , Scripturam Sacram , & Traditionem , veluti internos fontes amplectitur , quibus omnis revelatio ducitur. Atque iis quinque alii subiiciuntur Ecclesiae videlicet Catholicae , Generalium Conciliorum , Summorum Pontificum , omnium SS. PP. cunctorumque Theologorum auctoritas , perpetua , & unanimi convenientium concordia. Sed & externos alios perscrutatur , naturae nempe rationem , Philosophorum auctoritatem , & Historicorum , quorum adjutorio utiliter argumenta conficit , quum ex intimis non ita commode uti valet. Itaque X. locos habes , quorum firmitudinem singulatim investigare aggredior.

DE SCRIPTURA SACRA.

AC primum quidem locum , Scripturae Sacrae , nulla controversia abstulit , eundemque firmissimum. Dominus enim est , qui narravit in Scripturis Populorum , & Principum , quarum proinde veritatem constantissime profiteor ; quas itidem , sive quae in veteri , sive in novo Testamento continentur , integras in substantia reputo. Nec enim mihi eorum probatur opinio , qui Iudaeos Scripturas depravasse fabu-

A lau-

lantur, quasi codicibus suis auferre voluisse auctoritatem, ut nobis eriperent veritatem. Hinc habes, quod hoc maxime loco propugnandum duco: Scripturas omnes sive veteris, sive novi Testamenti, quae Bibliis continentur, divinae esse auctoritatis, & omni ex parte infallibiles, ut proinde firmissimum undequaque sit, quod ex illis eruitur argumentum. Verum tamen eo sensu intelligo Deum Scripturas dictasse, quod sacrorum Scriptorum mentem, voluntatem, & manum multo perfectius affecerit, quam solent homines, qui quaedam scribis dicant. Unde homines fuerunt instrumentalis Bibliorum causa. Concludendum vero ex iis non est, Scriptores sacros ita correptos fuisse, ac incitatos, ut licet voluntarie illi scripserint, non potuerint tamen non scribere, quod praecipue de Moyse testator Abulensis, & levissimo quidem argumento testatur.

SCRIPTURARUM CANON.

Scripturae Sacrae certo clauduntur canone. Sed hic alius est Iudaeorum, alius Catholicorum, Haereticorum tandem alius. Iudaeorum Canon nec plures, nec pauciores, quam duos supra viginti libros complectitur. Sed olim plures alii erant apud eos, qui modo in eorum Canone non habentur, quique nisi me fallit opinio viginti numerantur. Eos nullibi gentium extare Catholici, Haeretici, Iudaeique ipsi concludunt. Nec mirum si Divina Providentia eos perire passa fuerit: libri equidem erant, qui ad Religionis auctoritatem non pertinebant: Quocirca aliis reiectis opinionibus Mag. Aug. praefendam arbitror sententiam, qui libros illos, nec Sacros, nec Canonicos fuisse testatur. Iudaici Canonis Auctorem Esdras esse non dubito. Ipse profecto est qui collatis invicem exemplaribus, errata correxit Scripturasque in unum corpus ex ordine redegit. Nec tamen dico Iudaeorum Canonem ab Esdra Auctore suo authenticitatem habuisse

3
buisse Catholicorum Canon, quot, & quos veteris & novi Testamenti libros complexus fuerit, libenter dicam, multi vero sunt, quos Ecclesia Catholica veneratur, qui olim non fuerunt in Ecclesiarum Canone.

Verum enim vero, fixum quem omnes amplecti debemus sacrorum librorum numerum, quemque in controversiam vocare nefas est, Tridentina Synodus decreto suo stabilivit; atque eos omnes indigit, quos ipsa ses. 4 enumerat, & venerandos esse iubet. Quo circa, qui modo illorum quemquam à sacrorum librorum Canone expunxerit, haereticus profecto erit. Qua in re virum illum oculatissimum, ac omni sapientia praestantissimum, Melchiorem Canum dico, atque invitum quidem dico, & falsum esse, & fefellisse video, qui Baruch, Tobiam, Iudith, Ecclesiasticum, duosque Machabaeorum libros à Canone Sanctarum Scripturarum eximere haeresim non audet appellare. Vix haec nisi monstraret ipse de tanto viro crederem, quem homines iniquissimi, ut de peccato suo excusationem habeant, Patronum advocant, & venerantur. Statutus sacrorum librorum Canon iam pridem ab Innocentio Papa I. à Concilio Carthaginensi quarto conditus fuerat, & in decreto Gelasii edito Romae in Concilio LXX. Episcop. pariter adinventur: non levibus tamen argumentis conficitur post eorum decreta non fuisse de fide, libros qui in Concilio Tridentini decreto recensentur fuisse Canonicos. Postmodum vero Ecclesia controversias ad trutinam revocans, servansque regulam, quam D. Aug. lib. 2. de Doctr. Christ. tradit, quos dissensio à Canone reiecit libros, in illum inseruit, Apostolorum ac primitivae Ecclesiae nobis commendans persuasionem. De Haereticorum Canone vix iudicium feram, nempe, nec fuit antiquitas nec modo apud eos unus est.

Plures editas fuisse veteris Testamenti versiones Graecas, nullus est, qui ambiget, sed de eorum numero disputant Theologi. Ego vero decem extitisse propugno, quod si oportuerit, enumeratione monstrabo. Inter omnes, quae septuaginta dicitur, principem locum semper obtinuit. Versionem hanc editam fuisse videtur regnante in Aegypto Ptolomaeo Philadelpho, tertio ab Alexandro Magno Rege à duobus supra septuaginta Interpretibus, Populi senioribus, legis, & linguarum, tum Hebraicae, tum Graecae peritissimis ab Eleazaro Pontifice missis, atque eo fine, si fidem Aristaeo damus, & Iosepho, ut Iudaicis libris, quam Alexandriae Ptolomaeus conquisitis undique libris erexerat, ditaret Bibliothecam. Incertum tamen est quo Regni Ptolomaei anno incepta fuerit haec versio, inceptam vero, & absolutam fuisse Alexandriae in Aegypto, seu in vicina urbi illi insula Pharo, Historicorum consensio monstrat. Iam vero versionem istam divinae olim fuisse auctoritatis, & Apostolorum factis, & Patrum dictis, & ipsius etiam Ecclesiae usu comprobatur. Quo circa, quo pacto, his quoque temporibus authentica esse non debeat, haud intelligo, quum vel eo tantum argumento, modo etiam, veluti authenticam retineri debere conficiatur.

Latinae vero Bibliorum versiones pene innumerae extiterunt: ex Graeca enim septuaginta Interpretum versione, plures erant ante Hieronymi tempora Latinae veteris Testamenti, novi vero ex fonte graeco versiones, inter quas, eam, quae Itala dicebatur, occidentis Ecclesiae amplexabantur. Sed & Hieronymus ipse vetus Testamentum aliquos si demas libros, ex hebraico Textu, nonnullosque Iudaici Canonis libros ex graeca septuaginta versione in latinum sermonem transtulit: nusquam tamen Testamentum ex graeco Textu in latinum vertit, sed ad textum graecum tantummodo

do illud emendavit, quam quidem emendationem, iussu, & auctoritate Damasi Papae susceptam absolverat, & sine ulla offensione pene in omnibus absolverat, adeo ut summo omnium plausu suscepta fuerit. Verum latina, quam ex Hebraeo Textu veteris Testamenti condiderat versio non statim obtinuit in Ecclesia, quin potius perdurum putabatur, ut sacra interpretatio per multas Ecclesias frequentius coepit lectitari, obtinuit tamen postea. Aliae etiam versiones saeculo XVI. editae fuerunt, nedum à Catholicis, sed etiam ab Heterodoxis.

Age vero nonne Vulgatae nostrae Latinae editionis, auctorem, itemque auctoritatem investigemus. Atque secundum novum Testamentum antiqua est versio à Hieronymo ad textum graecum emendata, secundum antiquum vero aliquibus libris exceptis, ea est, quam Hieronymus ipse ex textu edidit hebraico. Auctoritatem vero non eandem in novo obtinuit, & in veteri Testamento. Profecto vulgata novi Testamenti versio statim post sui editionem in occidentalium Ecclesiis recepta fuit, veteris autem in aliquibus tantummodo; sed in omnibus post Hieronymi mortem, & ipsa quidem sola à saeculo XII. usque ad Synodum Tridentinam; nec vero mandatum aliquod Ecclesiae legimus, quo solius Vulgatae nostrae usus praeciperetur, ut falso asseruit Hugo Victorinus. Vulgatam editionem nostram post Concilium Tridentinum authenticam esse ipso Concilii decreto abunde concluditur. At quo sensu eam authenticam declaravit? Haereticis non modo Catholicos impugnantibus, sed & Catholicis quoque sese mutuo contradicentibus hoc adhibito responsum. Nullo pacto Synodus Tridentina latinam Vulgatam versionem Hebraicis, Graecisve fontibus anteposuit, nec propterea eam authenticam nuncupavit, quod Hebraicum, Graecumque, qui in Bibliis leguntur, textus, non esse authenticos arbitraretur, sed eo tantum sensu, quod in his, quae alicuius momenti sunt, pri-

6
 primaevum, verumque divinae Scripturae sensum non exhorreat, quodque integra in fide, & moribus capita complectatur. Quam ergo inepte illi ratiocinantur, qui Vulgatam versionem ab omnibus omnino mendis immunem praedicant, quoniam Synodus illam authenticam nuncupavit! Quandoquidem ipsis etiam Tridentinis Patribus persuasum fuit, versionem, quam authenticam declararunt, diligenti indiguisse emendatione. Ex his bene multa consecrata sunt, quae Melchiori Cano, aliisque venerandis Theologis displicent. Eoque illa sint, nemo est, qui non videat. Sed malo ego hanc opinionem amplecti, illi ergo per me licet, in suo sensu abundent. Vernaculae etiam fuerunt nonnullae Bibliorum versiones non modo à Catholicis, sed ab Haereticis etiam conditae, quas tibi si placet, monstrabo.

Q. P.

De singulis Sacrae Scripturae libris instituere non audeo sermonem, ne commentarios edere videar. Interea uniuscuiusque argumentum postulanti indigita- bo. Modo vero celebriora Scripturae facta resolvere equum duxi.

THESES EX VETERI TESTAMENTO.

1. **M**undus est conditus in vere.
2. Dies creationis fuerunt realiter distincti.
3. Ad munera Abelis respexit Deus igne immisso de coelo.
4. Lamech peccavit ducendo duas uxores.
5. Enos non fuit absolute primus, qui nomen Domini invocavit.
6. Sed dicitur invocasse nomen Domini, quia cultu aliquo externo, & maiori pietate, quam caeteri, id fecit.

7. Sem

- 7
7. Sem fuit primogenitus Noe.
 8. Patriarchae ante diluviani ab esu carnum quidem abstinuerunt, ille tamen non fuit eis prohibitus.
 9. Noe non peccavit se inebriando.
 10. Inter Arphaxad, & Sale ponendus est Cainan.
 11. Abraham non fuit mentitus, quando descendens in Aegyptum, uxorem suam voluit appellari sororem suam.
 12. Nec Sara, nec Abraham peccarunt, quando ingressus est ad Agar.
 13. Loth non peccavit peccato incestus, licet eius filiae peccassent.
 14. Esau peccavit vendens primogenita, peccato gulae, & simoniae, neutro tamen peccavit Jacob.
 15. Iacob praeripiens benedictionem paternam fratri suo, non fuit mentitus.
 16. Tam Lia, quam Laban substituens Liam pro Rachele peccarunt graviter peccato adulterii, & incestus, à quibus tamen excusandus est Iacob.
 17. Rachel non fuit idolorum cultrix.
 18. Filii Jacob ulciscentes stuprum Dinae commiserunt grave peccatum.
 19. Ex prophetia Jacob: *Non auferetur sceptrum, &c.* recte probatur contra Iudaeos Messiam venisse.
 20. Parentes Moysis, hunc Nilo tradendo, non peccarunt.
 21. Moyses non peccavit occidendo Aegyptium.
 22. Hebraei non peccarunt spoliando Aegyptios.
 23. Non duxit Deus Hebraeos per terram Philistinum, ne statim ingruente bello in Aegyptum redire vellent.
 24. Duxit illos per solitudinem via longa, & laboriosa, ut paulatim eos laboribus assuefaceret.
 25. In mari Rubro unica tantum aperta fuit via.
 26. Hebraei non transierunt mare Rubrum via recta, sed via semicirculari.
 27. Samson non peccavit ducendo Matrimonium cum

- 8
cum uxore de filiabus Philistinorum.
28. Samson vere poenituit, & in finem perseveravit.
 29. Saul consulenti Pythonissam, vera Samuelis anima apparuit.
 30. Anima Samuelis non apparuit in proprio corpore.
 31. Saul se ipsum occidendo grave peccatum commissit.
 32. Salomon graviter deliquit amore mulierum.
 33. Verisimile est Salomonem salvum fuisse.
 34. Naaman Syrus non peccavit sustentando Regem in templo Hemmon.
 35. Iephte filiam suam obtulit in holocaustum reale.
 36. Iephte fuit in vivendo stultus, & in exequendo impius.
 37. Daniel captivus abductus fuit in Babylonem cum reliquo populo Israel à Rege Nabuchodonosore.
 38. Darius, qui (ut habetur i. Esdrae. 4.) Iudaeis permisit, ut templum Hierosolymitanum extruerent, non est Darius Nothus, sed Darius Histaspides.

THESES EX NOVO TESTAMENTO.

1. **Q**uamvis olim multa fuerint Evangelia, quatuor tantum sunt in canone Ecclesiae recepto.
2. Auctor principalis Evangeliorum, & cuiuscumque Scripturae Sacrae Spiritus Sanctus est.
3. Auctores tamen secundarii sunt, quorum nomen unicuique Evangelio praefigitur.
4. B. V. M. verum emisit virginitatis votum.
5. Sanctus Ioseph vere fecit votum virginitatis.
6. B. V. M. in verum matrimonium Iosepho data fuit ante Angeli salutationem.
7. B. V. M. mansit apud Elisabeth cognatam suam, quasi mensibus tribus.

8. Sanctus Ioannes Baptista in utero Matris sanctificatus fuit.
9. Exultatio Ioannis in utero Matris fuit miraculosa.
10. B. V. M. clauso utero; sine dolore, sine sordibus, peperit filium suum primogenitum.
11. In Christo impleta est Michaeae prophetia: Tu Bethleem, &c.
12. Christus circumcisus est die prima Ianuarii.
13. Magos Christi adoratores fuisse Reges haud contemnenda opinio est.
14. Stella apparuit Magis eodem die, quo natus est Christus.
15. Magi venerunt Bethleem die 13. post Christi nativitatem.
16. Magi venerunt ex Arabia felice.
17. Iesus, Maria, & Ioseph, post purificationem, ex Ierusalem reversi sunt in Nazareth, & inde monente Angelo fugerunt in Aegyptum.
18. Herodes iussit infantes occidi eodem anno, quo Christus post oblationem in Templo fugit in Aegyptum.
19. Christus postea habitavit in Nazareth cum parentibus, ubi vitam pauperem egit, non tamen mendicando.
20. Singulis annis, Iesus cum parentibus, in die solemnii Paschae ibat Ierusalem ad Templum Salomonis.
21. Christus tentatus est tentatione gulae, vanagloriae, & avaritiae.
22. Nathanael, quem Philippus adduxit ad Iesum fuit Bartholomaeus.
23. Christus divinitatem suam vere declaravit Ioannis 10. v. 25.
24. Sanctus Lucas cap. 10. de Epulone, & Lazaro, veram, & litteralem narrat historiam.
25. Caiphas in prolatione horum verborum. Oportet

- 10
 tet ut unus homo moriatur; & non fuit vere Pro-
 pheta.
26. Christus triumphans Ierusalem ingressus
 est die Dominica, sex diebus ante Pascha.
27. Christus in hoc itinere, non solum sedit su-
 per asinam, sed etiam super pullum eius.
28. Christus in coena, corpus, & sanguinem
 suum sumpsit.
29. B. V. M. corpus filii sui in coena non sumpsit.
30. Tempore mortis Christi terraemotus fuit, uni-
 versalis.
31. Christus Dominus non fuit tribus diebus, &
 tribus noctibus integris in corde terrae.
32. Christus Dominus post Resurrectionem vere
 comedit.
33. Christus ascendit in Coelum in Bethania in
 Monte Oliveti.
34. B. V. M. in die Pentecostes, cum Apostolis,
 aliisque discipulis accepit Spiritum Sanctum.
35. Cornelius antequam Petrum accerseret, fuit
 iustificatus.
36. Cephas ad Galatas 2. non est alius distinctus
 à Petro Apostolo.

TRADITIONES.

Traditionis nomine non scripta, intelligitur doctri-
 na, in libris nempe Canonicis quum eam aliunde
 Conciliorum statuta. Patrumque doctrina nobis tradant.
 Traditionem triplicem invenimus, si per ordinem ad
 obiectum ipsam perscruteris, fidei videlicet, quae ad
 fidem, morum, quae ad mores, & disciplinae quae ad
 disciplinam spectat. Hanc in Apostolicam, & Eccle-
 siasticam recte divides; quandoquidem ritus sunt ab
 Apostolis primitus instituti in eorumque Epistolis non
 inventi; & consuetudo eadem est, aut à Prelatis aut à po-
 pulis inchoata, fidelium tacito consensu virtutem legis
 obli-

11
 obtinens. Rursum; quae ad fidem, moresque spectat
 traditio, divina est, & humana. Hanc non apposite
 adduces si firmum pro fide, & moribus argumentum
 producere desideras cum tamen divina, irrefragabilia
 tibi suppediter momenta, quibus ea, quae fidei, &
 morum sunt, cognoscas, & invictè sustinebis. Irri-
 deant nunc Lutherani traditiones, dum nos eorum irri-
 ridemus dementiam, Traditionum firmitudinem asse-
 rentes, & ea quae Sacrae Scripturae habentur venera-
 tione venerantes. An non Ecclesia semper indiguit tra-
 ditionibus? Extiterunt profecto divinae Traditiones ab
 Adamo ad Moysen usque, extiterunt itidem à Moysè
 usque ad Christum, à Christo tandem ad nostram us-
 que aetatem quibus divina praecepta in lege naturae,
 Mosayca & Evangelica agnovimus custodita. Sed ut
 abundantius id quod verum est stabiliamus bene mul-
 ta, eaque pulchra nimis momenta producemus, qui-
 bus Christi, Apostolorumque traditiones invictissime
 statuuntur, earumdemque robur ab hominibus etiam
 coecis spectatur. Viam vero & rationem nobis deesse,
 quibus traditiones investigare possimus, Reformati
 nullo modestiae temperamento calumniose mentiuntur.
 Sed abeant illi. Probe enim sibi conscii sunt Catholici
 expeditam nobis esse viam, ut harum rerum intelli-
 gentiam assequi tandem valeamus.

CONCILIA.

Conventum Ecclesiae Praesulum, ut de rebus ad
 Ecclesiam spectantibus agant utque populum
 Christianum in his erudiant, quae credere, & amplec-
 ti debet, Concilium appellatum semper fuit generale,
 si Pontificum omnium christianorum convocatione ce-
 lebratur; Provinciale quum omnes unius Provinciae,
 aut etiam Regni Pontifices evocantur; Dioecesanum
 tandem in quibus Sacerdotes ab Episcopis adjuvantur
 ob privatas singulatum Ecclesiarum causas. Conventum

12.
tum illum indicere solius Ecclesiae est, prout animarum complectitur Pastores, neque enim hoc ius sibi Principes vindicare possunt, quantumcumque octo priora Concilia Generalia ab Imperatoribus indicta esse asseramus, & propugnemus. Romano namque Pontifici, & non alteri, Episcopos ad Synodos evocandi ordinaria competit auctoritas, si Synodus plenaria sit, illis exceptis casibus, in quibus ius illud apud Cardinales est: Diocesanæ vero Synodi ab Ordinario loci, Provinciales à Metropolitanis, nationales à Primatibus convocari debent. Atque ii ad Synodum sunt evocandi, qui quavis ratione ipsi sunt necessarii, ut indices vero Episcopi tantummodo, apud quos ius divinum est suffragium decisivum in Synodis ferendi; & aliquibus ab hinc saeculis Abbates, & Generales Ordinum Praepositi quibus iure Ecclesiastico potestas eadem data est. Lutheranos hic oppugnamus, qui conventicula desiderant, in quibus non Ecclesiae Principes, sed laicorum turba stulto clamore praevaleat, quasi ad indisciplinatum vulgus disciplinae nostrae iudicium referendum sit, & controversia. Nec illud minus impudenter vociferant, Laicos Imperatores nempe ordinarie in Generalibus Synodis preesse debere. An vero ulli unquam legitima Synodo in suffragio, & directione praefuere Imperatores? Pro pace & ordine conciliando, & si mavis quo ad locum materialem plerisque praefuerunt, quae per octo priora saecula apud orientales sunt celebrata; sed quod inde praeiudici in suffragio ius, aut quae rerum pertractandarum praescribendi methodum potestas? nempe solus summus Episcopus hoc ius sibi vindicat, hocque pacto ferè omnibus Conciliis Generalibus per se, vel per suos Legatos praefuerunt. Ad illud vero modo veniamus, in quo totius causae cardo vertitur, Conciliorum nempe Generalium auctoritatem infallibilem esse: ex eis igitur, modo nullae desint à Catholicis requisitae conditiones, omnino certum pro fide, & moribus desumes argumentum.

Q.

13.
Q. P.
De unoquoque Conciliorum generalium sermonem instituere molestæ res esset. Inter ea, quae in illis sunt praecipua capita tum ad fidem, tum ad disciplinam spectantia indigitabo, caeteraque omnia, quae ad veram, & exactam notitiam desiderantur.

ECCLESIA.

Fidelium coetum, & societatem, Ecclesiam appellamus, non enim in quacumque multitudine Ecclesiae nomen agnoscimus, sed in ea tantummodo, quae Christi fide, & vocatione coaluerit. Sed quum haec Catholicorum omnium Respublica, & fortes, & imbecilles, & iustos, & iniquos complectatur, consequens est iis omnibus Ecclesiam constitui, in qua velut in agro Dominico inter nitentia culta, tribuli, & steriles dominantur avenae. Occultos etiam infideles, qui nimirum interius fidei articulis contradicunt, si baptizati sint, & in externa cum fidelibus communione sub legitimis Pastoribus permanent, sinu suo complectitur. Publicos tamen Haereticos, manifestos Schismaticos detestatur, atque ut verbo rem absolvam, si tibi audieris, eos qui dicuntur Christi, non à Domino Jesu Christo, sed à quocumque alio nuncupari, scito non Ecclesiam Christi, sed Anti-Christi esse synagogam. Ecquae vero Ecclesiae auctoritas est? Videlicet quae undequaque firmissimum suppeditat argumentum. Falli namque, & fallere nescia est, quam Dominus sibi in fide desponsatam spiritu regit sempiterno, adeo, ut quidquid fidelium omnium concio tenet, verum propterea illud sit, & articulum fidei efficiat unanimes omnium particularium Ecclesiarum consensus. Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Christi Ecclesiam appellamus. Notae enim istae sunt clarissimae, quibus illustratur, ab eisque secernitur, quae

14
quae eo nomine non sunt dignae, Schismatica Graecorum, & haeretica reformatorum.

ROMANUS PONTIFEX.

Divino consilio cautum est Episcoporum esse aliquem primum, ut fideles in unitate, & fidei consensione contineantur, utque ad Ecclesiam suam tamquam ad matrem caeterarum Ecclesiarum causae afferantur, cuius iudicio vetusta Apostolorum auctoritas reservavit. Pontificem Romanum hunc obtinere Primatum haeretici soli inficiantur, Catholicorum vero quisque catholice ut credat, credere oportet illum solum relictum esse à Domino tantae auctoritatis Principem, quanta continendis in Religione fidelibus officio necessaria est. Quam quidem veritatem PP. agnovere asserueruntque, & quovis saeculo venerata est Ecclesia Catholica: sed qui illam impudenter oppugnant, videant qua ratione conficere valeant, Romanum Pontificem Petro non succedere in eadem auctoritate, & potestate; quod si hoc licet suadere tentent, persuadere tamen non possunt, quid est, quod Oleum, & operam perdunt? Ex quibus illud necessaria consecutione intelligimus, Romani Pontificis in universa Ecclesia Primatum semper in omnibus Christiani orbis Provinciis enituisse eorundemque Pontificum Decreta apud primarum etiam sedium Episcopos, ipsas quoque variorum locorum Synodos, magno semper in praetio fuisse, & quod caput est summi Episcopi auctoritatem firmissima viro Theologo suppeditare momenta, quibus Theologiae adserta fulciantur. An etiam ineluctabilia? in re sumus Gallos inter, & Italos controversa illis Romano Pontifici, iis vero Concilio generali iudicium infallibile tribuentibus, utrique tamen conveniunt Ecclesiam esse infallibilem, quod plurimum refert: Sed quum, qui Romanum Episcopum infallibilem esse negant, & qui affirmant sint Catholici, nec

15
nec propterea alterutri suspecti in fide habeantur, quaestio haec inter eas est reponenda, quae salva fidei integritate in utramque à Theologis partem disputantur.

SANCTI PATRES.

Sanctorum Patrum, quos tamquam integros Traditionis, Sacrarumque Scripturarum interpretes veneramus, auctoritas, quante in praetio à Theologis habenda sit, vel illud aliunde magnum argumentum est, quod omnium PP. sensus Spiritus Sancti sensus sit. Verum tamen eam nunc auctoritatem commendamus, quae in his versetur, quae ad fidem spectant, aut ex fide deducuntur, nempe apud omnes constat in earum rerum argumentis, quae naturae lumine continentur, seu quae non sunt clare revelata, aut ex revelatis minime sequuntur tantum valere PP. auctoritatem, quantum ratio naturae consentanea persuaserit, nec de uno, aut altero, aut item pluribus Patribus sermo est, horum quidem testimonium caeteris reclamantibus, multum certe probabilem, sed non certam omnino praestet auctoritatem, sed de unanimitate illorum in unum Dogma consensu; tunc profecto certissimum habes divinae traditionis testimonium, firmissimumque idcirco argumentationem. Cuiusque praeterea SS. PP. auctoritatem venerari debemus, sed non propterea clausis, ut aiunt, oculis, illi nos committere debemus. Eruditionem à sanctitate secernere debemus: ut sancti sunt venerandi; sed eorum doctrina ex Theologiae regulis est examinanda, nec iuxta Pythagorae discipulos praedicta Doctoris opinio, sed doctrinae ratio ponderanda est. Nimirum aliter habuerunt Sacri Scriptores, aliter reliqui tractatores. Illi semper vera dixere, isti in quibusdam ut homines errarunt. In Patribus (paucis dicam) iuxta Vincentii Lirinensis regulam, universitatem sectato, antiquitatem, & consensionem.

SCHO-

Post ipsorum Ecclesiae Doctorum auctoritatem Scholae etiam Magistrorum testimonium amplecti debemus, eorum videlicet, quorum doctrina litterarum, institutorumque sacrorum fundamentis fuerit constituta, eorum vero nulla est habenda ratio, qui Scriptura, & Traditionibus obliti, sola humana ratione, & recentiorum auctoritate sua placita stabiliunt, & firmant. Quippe bene multi puros Ecclesiae fontes abhorrentes, turbidisque se proluentes probabilissimi fluentis in horrida inciderunt opinionum portenta, atque suam auctoritatem à viris Religiosissimis, ab Episcopis sine numero, & Romano Antistite, ut exitiosam damnatam patiuntur. Sed quum veros Theologos veneramus, tantique eorum auctoritatem facimus, quoniam censurae genere damnandum erit dogma, quod unanimi Scholasticorum omnium consensui adversatur? Erroneum nonnulli esse dicunt, alisque haeresi proximum visum est. Verum quum vix omnes consentiant in Dogmata ab Ecclesia non definita, veluti inutilem ad praxim hanc quaestionem non finimus.

HISTORIA HUMANA.

Quum quid de ordine temporum transactionum indicat, ea quae appellatur historia, plurimum nos adiuvat ad sanctos libros intelligendos, etiam si praeter Ecclesiam puerili eruditione discatur. Ecclesiae vero historiam praecipue commendamus, quae quantum Theologis valeat, illi agnoscunt, qui quum in re quondam gesta versantur eam vix absque historiae cognitione absoluant: ergo homines hominibus non credere nefas esset. At modus est in rebus. Non enim singulis tantam fidem debet Theologus adhibere, ut illius tantum momenti rem feliciter absolutam arbitretur. Verum quum plures, iique fide digni, & gra-

ves

ves in eadem re versantur, eorum auctoritatem, ut valde firmum argumentum in sui favorem adducat: quum vero res ita se habeat, ut ab omnibus probatis, & gravibus historicis asseratur, inde certam erues auctoritatem. At quo pacto certam? nempe non ea certitudine, quae fidem generet, sed quae nulla inter homines maior est. Nec enim huius generis historicis datum est, quod nec falli, nec fallere possint. Sacris Scriptoribus id singulare fuit.

QQ. PP.

I. Beatissima Virgo Maria suum potius, quam nostrum Ordinem è Coelo delapsa ad fidelium Captivorum solatium, & redemptionem instituere dignata est. Quam institutionem, qui ab anno MCCXVIII. removere conantur, rem difficilem postulare videntur.

II. Apparitio haec B. V. M. quae Sanctis Petro Nolasco, Raimundo de Peñafort, ac Iacobo I. Aragoniae Regi, se conspiciendam dedit, vere est ab Ecclesia canonizata.

RATIO NATURALIS, ET PHILOSOPHIA.

Naturalis ratio recte à Theologis consulitur; quae nobis à Deo data est ad comparandam veritatis cognitionem. Naturalia itaque argumenta non aspernamus, quasi verae Theologiae adversa, & inimica, ab eorum tamen errore caveamus, qui disputationem omnem suam solis syllogismis absolvunt, Theologicum Dogma ludum, & iocum faciunt. Nec tamen naturae rationibus aequo nimium confidendum, sed tantum virium tribuendum, quantum illis inesse natura ipsa duce cognoscimus. Quod ut recte fiat, en totam rationis naturalis firmitudinem. Communia naturalis rationis principia certam Theologo auctoritatem sufficienti conclusiones vero, quae alia via, quam per demons-

C

fra-

18
trationem illa consequuntur; probabile tantum argumentum.

Q. P.

Sapientissimum Mag. Goudin. Sac. Ordin. Praedicat. in singulis sui Operis Philosophici propositionibus, Aristoteli, & Angelico Praeceptorum apprimè consonum, defendam.

EXISTENTIA DEI, EIUSQUE ESSENTIA,
& perfectionis.

Inspicientes quum sint homines illi, qui dicunt in corde suo non est Deus, Atheistas principio oppugnatos volumus, & ex errore ipsorum tam crassum errorem debellabimus. Deum enim esse omnibus, sine doctore, sine lege, sine more notum est, ut quem existere omnis natura clamat. Hinc expeditissima paratur nobis via ad Polytheos revincendos, & plurium Deorum cultores damnandos. Deus quippe si unus non est Deus non est. Verum causam hanc felicissime absolvit D. Thomas, cuius irrefragabilia ego momenta expendam. Ergo eorum dementiam rideamus, quae tandem ipsis in confusionem erit, dicamusque & Deum existere, & unicum esse, qui prima, & aeterna causa sit, à qua & bona operantia, & mala cuncta permittuntur. Aeterni huius Numinis naturam si physice spectetur, illae omnes perfectiones constituunt, quae ipsum summum bonum, sive potius immensum Perfectionum Pelagus designant. De constitutione vero metaphysica non una est Theologorum opinio; sed illis ego subscribo, qui per esse ens à se divinam constituunt naturam. Sed verius cum Nazianzeno dicem: certe hoc Deus est, quod quum dicitur non potest dici, quum aestimatur, non potest aestimari, quum definitur, definitione crescit. Verum enim vero perfectiones multae Dei consequuntur naturam, quae

19
quae scholae more attributa licet appellare. Horum quum quodlibet, licet totus Deus sit, formam tandem quamdam absolutam significet, & determinatam, quae essentiam divinam, veluti proprietas consequitur, ab aliis secernatur oportet. Inter omnia Dei attributa ineffabilitas eminet, quoniam vocabulo nullo simplici reconditam divinitatem mente tenere possumus. Essentialiter, & summe bonus est, omni bonitatis genere, immensus quoque; nec abiectione dignatur loca, adeo ut sint omnia plena Deo. Solus ipse Aeternus est, nec creatura aliqua eius aeternitate potiri potest. Omnia etiam simplex, nullamque cuiusque conditionis patitur compositionem. De divina simplicitate haud recte senserunt nonnulli, qui in eum errorem descivere, quod Deus sit Anthropomorphos, censerent. Ab errore huiusmodi vix excusari potest Melito Asianus Sardensis Episcopus, itemque Tertullianus. Non ita S. Epiphanius, & Hilarius, quorum vindicias libens summo. Sed & aliae sunt divinae naturae perfectiones, quas enumerare nemo potest.

DEI VISIO.

Adam ergo, & videbo visionem hanc magnam, qua sese Deus revelata facie beatorum mentibus in apertum producit. Atque adeo magna est, ut intellectus creati vires, & facultates omnes profecto superet, nullusque sit, qui propriis viribus possit Deum intueri. Scilicet, ut Regem in decore suo videant oculi eius, splendido egent lumine gloriae. Refellerem ergo nunc, nisi refellere me puderet, lumen illud sempiternum, quo Graeci Palamitae se Deum videre iactabant. Sed quum intellectus creatus superno lumine suffultus Deum contemplatur, ipsum non comprehendit, nec vero comprehendere potest, & haec est Dei visio, quam Chrysostomus iure, meritoque possibilem esse negavit: abeat ergo Vasquesius, qui audacter nis

mis tantum Patrem; tamquam Armenorum haereseos fuligine adpersum traducit. Atque ut Chrysostomus; ita Theodoretus; & Hieronymus in hac quaestione à quibusdam erroris inique insimulantur. At quid Mag. Augustinus sensit circa Dei invisibilitatem corporalibus oculis? nimirum assertive ubique Deum oculis corporis videri non posse propugnat; quinimo omnia suppeditat momenta, quibus utuntur Theologi; iisque splendidiora, quae à vulgaribus Scholasticis proferuntur. Utrum vero resurgentium corpora, spiritualia sint evasura, & oculi diversae ab istis naturae, Augustinus prudentissime non absolvit. Sed ad alia. Deum Moysen quum adhuc in via esset vidisse, quaestio est; quae pro, & contra potest disputari. Probabilius tamen iudico Henoc, & Eliam Dei visione nondum frui, nisi forte momentanea. Anile figmentum est mille annorum illud regnum à Cerintho excogitatum, & à Papia Syro inductum. Neque animabus exutis corporibus, & plene purgatis Dei visio ad minimum tempus differtur. Catholico huic dogmati non adversatur S. Ambrosius; & iniuria pariter D. Bernardus carpitur à Durando. Augustinus denique summam ingenii perspicaciam ostendit, dum de occultis animarum receptaculis dubitavit; verum tamen de superna felicitate numquam dubitavit. At Ioannem XXII. in oppositam abesse sententiam Gerson contendit, & Bossuet, aliique primi ordinis Theologi. Sed horum opinionem viri alii doctissimi mascule castigaverunt, quos sequi malui. Quid Beati, in Deo videant interrogatus indigitabo.

SCIENTIA DEI.

OMnis scientiae plenitudinem, in Deo quis negat, nisi rei Deum ipsum volunt ignorantem? Est itaque in omni veritate scientia, eiusque cognitio cum ad suas perfectiones; tum ad creaturas directa, scientifica est, omnia haec per effectricem illarum causam at-

attingens. Sed ex rerum discrimine quas cognoscit, varia sortitur nomina rem unam significantia, & quae tantum penes cognita Dei scientiam veluti partiuntur cognoscit Deus suum esse increatum, & hoc est primum divinae cognitionis obiectum; sed nec ulla creatura sive extans; sive possibilis; sive praeterita Dei scientiam valet subterfugere, quinimo nec futura ipsa contingentia. Atque haec omnia sunt; quae tamquam secundum obiectum attingit in essentia sua prius cognita tamquam illorum causa. Ita mirabilis est scientia Dei, & potens, ut ab illa efficaci divinae voluntatis decreto applicata res omnes habeant, & vivere, & moveri, & esse. Ex quo abunde intelligitur rerum futuritionem ita à divina scientia pendere, ut verum undequaque sit; res ideo esse futuras, quia eas novit ab aeterno Deus. Quid ita? En arbitrii nostri interitum, & contingentium omnium eventum infallibilem. Priscilianus gentis nostrae dedecor consequutionem hanc necessariam asseruit: nesciebat nimirum, eventuum contingentiam & necessitatem à Deo pendere. Quidquod omne, quod est, immo, & quod futurum est, tale est à libero divinae voluntatis decreto? Atque hinc illa consequutio in Thomistarum doctrina firmissima, solum scilicet divinum decretum medium esse, in quo Deus futura cognoscit: ineptum ergo est, quocumque aliud excogitari potest. An & scientia media? Hanc de remo inflexo tumentur, qui tutissima Divi Thomae Dogmata perhorrescunt. Sed si dicturus sum quod sentio, ad nihilum prodest ultra, nisi ad sternendam viam nonnullis Semipelagianorum erroribus, ad enervandam efficaciam gratiae, ad deterendam divinae sanctitatis famam, ac verbo dicam, ad insidiandum hominum saluti.

DEI VOLUNTAS.

Verum quum intellectionem sua velut sponte consequatur voluntas, qua necessitate scientiae plenitudinem in Deo fatemur, eadem & in illo voluntatem

22.
tem esse dicamus oportet, id negare quoniam vel ipsa fidei principia monstrant haeticum plane esse. Haec igitur & bonitatem ipsam increatam, & creaturas diligit, demptis possibilibus, quas nullo amore prosequitur. At quod in obiectis discrimen, idem in illorum dilectione est. Bonitatem namque divinam necessario amore diligit, creaturas vero libero amore vult. Ergo oppositam in Deo necessitati libertatem, praecipuam scilicet divinae voluntatis excellentiam. Sed quod in illius explanatione Theologorum rixae, & contentiones: Illa tamen opinio Angelici Praeceptoris valde consona videtur, quae libertatem illam explicat per actum divinae voluntatis necessarium, ac sempiternum, prout connotat obiectum creatum, effectumque defectibilem. Atque haec opinio adeo probabilior est, quo facilius divinam libertatem cum immutabilitate conciliat. Variam, atque multiplicem Dei Voluntas in Scholis obtinuit partitionem, praecipua est in antecedentem, & consequentem. Prima quae propria, & sincera voluntas est, vult Deus omnes homines etiam post Adae lapsum, dempto nemine, salvos facere. Certa tamen conditione, haec posset impleri voluntas. Impossibilis est conditio illa, quam adversarii indignant, veram ergo rogatus declarabo. Sed age voluntatis consequentis vim, & potentiam videamus. Equidem ab hac voluntate sunt decreta illa Dei aeterna, quae liberi arbitrii consensum efficiunt & quae necessitas operationis simul cum libertate consequitur. Sed difficile dictu est, quid adversarii nos tentaverint, ut praeviam hanc efficacissimamque motionem exploderent, nimirum hoc uno Thomistico dogmate Theologiam suam penitus aboleri videbant. Cum Calvino, atque Iansenio Thomistarum commercium in lucem prodere arbitrantur, utque calumniam hanc tueantur, caelo, terraque evocatis copiis in Thomistas insurgentes infelici glutine Patribus haeticis orthodoxis mores Calvinistas atexerunt, rigidosque Ver-

23
rum tamen dum Angelic. Doct. discipulos à Calvinis Iansenique erroribus vindicare pulliceor, dicere me liceat contemptu magis, quam vera Theologia oppugnare adversarios oportere.

DEI PROVIDENTIA

Sed emergat iam & vadis oratio mea. Ad divinam voluntatem spectat Providentia illa, qua minima etiam, & abiectionissima Deus gubernat, & sub qua omnes hominis actus, sive boni, sive mali, & inhonesti cadunt. Sed quid in his divinae Providentiae proprium sit, dicam. Interea probo, tuoque communem divinae Providentiae divisionem, in generalem, & specialem. De hac vero nunc sermo noster erit.

SANCTORUM ELECTIO, ET REPROBATIO Impiorum.

Licet Provisor sapientissimus Deus omnibus auxilia sua offerat, quibus sufficienter promoveantur vitam aeternam, ad sempiternam tamen felicitatem speciali providentia quosdam elegit, alios quum ad eam non admitterit, quo circa soli praedestinati gloriam consequuntur. Causam vero adinvenire propter quam quosdam ad gloriam elegerit Deus, quosdam vero non, non multo operosum erit, si sacras litteras, Sanctosque Ecclesiae Patres, Augustinum, & Thomam consulamus, profecto agnosceremus electionem ad gloriam esse omnino gratuitam, & quosdam ad Dei regnum vocari, quia ita placuit Patri nostri. Quapropter meritorum omnium praevisionem anteverit: Quinimo cuncta opera bona, quibus tandem electus corona iustitiae coronatur, ab ipsa praedestinatione sunt, quae dat etiam, unde ornetur ex meritis, & beneficia praeparat, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Sed & alii sunt praedestinationis ef-

24
 effectus. Unum dictis adiungam, multos nempe circa
 praedestinationem errasse. Haeretici postremis saeculis
 fuerunt, qui Praedestiniani vocantur, sed quantum
 allucinantur, qui hanc haeresim in Adrumetino mo-
 nasterio, Augustino superstite, fuisse vociferant!
 Quantum etiam, qui eruptam denuo in Gallis sub
 Coelestino I. & a Gothesco renovatam arbitrantur? Sed
 hunc non propterea omnino excusandum dico, im-
 prudenter nempe veram causam defendit. Sunt etiam
 qui M. August. vellicant, ut qui doctrinam de praed-
 destinatione tradiderit tranquillitati haud multo ac-
 commodatam. Ego vero tanti Doctoris iudicium mag-
 nificiens, opportunum reputo illius praedicare doc-
 trinam, prudenti licet iudicio. De Patribus vero, qui
 ante exortam Pelagianorum haeresim scripsere, non
 debemus esse solliciti; atque ex Graecis Patribus, Ori-
 genis auctoritas reiicienda est. Sed impiorum iam mi-
 seram sortem contemblemur. Excluduntur ii à Regno
 coelorum efficaci, ac immutabili decreto, & actu di-
 vine voluntatis positivo, idque ante cuiusquamque
 demeriti personalis praevisionem, licet ab illorum
 praesentia dependeat reprobatio, quatenus volunta-
 tem importat poenam infligendi. Ut tamen res se ha-
 beat circa personalia demerita, certum est in Aug. &
 D. Thomae doctrina originale peccatum causam esse
 denegationis gloriae, seu ut schola loquitur, repro-
 bationis negativae. Multa de reprobationis effectibus
 dicam.

SANCTISSIMUM TRINITATIS MYSTERIUM.

Profundum sanctissimae, & individuae Trinitatis
 mysterium Religionis nostrae caput, ac funda-
 mentum, illud est quo in individua natura trium Perso-
 narum distinctionem veneramus, omni harum confu-
 sione seclusa. Arianos simul, ac Sabellianos hic op-
 pugnatos volumus. Sed & contra alios iniquo ore in
 Chris-

25
 Christum blasphemantes firmandum est, aeternum
 Dei filium in aliqua fuisse substantia, priusquam in
 utero Virginis conciperetur; à Patre etiam ante lucife-
 rum genitum generatione, & natura, ac eiusdem cum
 Genitore esse substantiae. Hinc iure optimo Patres ex
 toto orbe praestantissimi Nicaeae Filii divinitatem de-
 clararunt, eundemque genitum, non factum, con-
 substantialem Patri dixerunt. Spiritus quoque Sanctus
 verus Deus est Patri, & Filio consubstantialis, & ab
 utroque non factus, nec genitus, sed procedens. Sed
 fidem hanc Synodus Constantinopolitana docuit Mace-
 doniorum errorem penitus profligandi. Firmavit quo-
 que Synodus Florentina Spiritus Sancti à Filio proces-
 sionem, quum particulam *Filioque* in Symbolo Con-
 stantinopolitano collocavit, conquerantur licet Graeci,
 qui gratis conqueruntur. Ante Nicaeni vero, & Post-
 nicaeni PP. uno pariter ore hanc fidem asseruerunt,
 quamvis in Arianae haereseos suspicionem à nonnullis
 trahantur. Sed eorum vindictae hic locum suum ha-
 beant, necessum est. Athanasium, quem auctorem
 habet Symbolum eius nomine scriptum, Ignatium
 quoque, Iustinum, Athenagoram, Irineum marti-
 rem, Clementem Alexandrum, Liberium Papam,
 Polycarpum, Cyprianum, Lactantium, & Arnobium
 vindicamus. Ceteras, quas Scholae Theologi asserunt
 disputationes, prosequi longum esset.

ANGELORUM NATURA, ET DOTES.

Atque principio ipso Deum Angelos condidisse,
 substantias nempe per se subsistentes, & com-
 pletas intelligendi, & volendi facultate pollentes, di-
 vina duce revelatione, statuo: ergo Angeli sunt, in
 oppositum licet clament Saducaei, quos si revelationi
 non credunt, experientia refutabo. Creavit illos Deus
 una cum mundo corporeo, & in huius initio, ut Con-
 ciliium Lateranense testatur; sed non ideo propositio
 D haec

haec de fide certa haberi debet, sicut illi credere, qui haereseos nota contradicentes damnarunt. In corporeos esse, & immateriales negari sine temeritate non potest. Sed & immortales natura sua sunt. In sui conditione gratia sanctificante ornati fuere, inchoatamque supernam foelicitatem simul, & beatitudinem naturalem adepti. Etsi plura noscunt, propriis tamen naturae viribus, & seclusa Dei revelatione secreta cordium, seu humanae, & Angelicae mentis cogitationes, & affectus certo cognoscere non possunt. Verum enim vero, ecce qui serviunt Domino non sunt stabiles, peccaverunt namque, & Daemones facti sunt. Eos superbia deposuit, & potentes stravit, sed detracta est tandem ad inferos superbia eorum & cecidit de Coelo Lucifer, igneque torquentur sempiterno. De Hierarchiis, Ordinibus, ac Ministeriis Angelorum dicam, nec gravi calamo persequi omnia licet.

ULTIMUS FINIS HOMINIS, ET EIUS

Beatitudo.

Non modo Deus ad imaginem, & similitudinem suam hominem condidit, sed quod felicius est ad semetipsum, tamquam ad ultimum finem ordinavit. Conditus igitur homo tantae gloriae capax, beatitudinem illam in futura vita est adepturus, quam rerum optandarum cumulatam plenitudinem appellavit Augustinus, ut vel hoc solo admoneret in nullo huius vitae bono, Beatitudinem consistere posse; consistit ergo in clara Dei visione Divinam Essentiam, Divinasque personas attingente. Sed & amorem eius perfectio complectitur, quo perfecta completur sacietas, & plena iucunditas. Perfectissimum hunc divinae faciei aspectum, perfectiones, ac veluti proprietates quasdam consequi oportebat, & plano consequuntur inter alias, amor, delectatio, & impeccabilitas. Ex quibus amor ita necessarius est, ut non sit in iustorum

po-

potestate à tali amore cessare. Ab eo delectatio illa nascitur, & enutritur, qua de Deo, & bono ipsis proprio, ipsosque beatificante Beati delectantur. Impeccabilitas tandem foelicem iustorum sortem sequitur, & illis in praemium datur. Ex quo intelligimus peccatum etiam de virtute Dei absoluta cum amore beatifico coniungi non posse. Atque ex his, quinam, quotque sint animarum sanctarum dotes, satis ut arbitrator, conficitur. Corporis autem gloriosi quatuor communiter statuuntur: Impassibilitas, quae non modo mortem, sed passionem omnem poenitus excludit: Subtilitas, quae gloriosum corpus ab omni tergenae labis concreione immunem reddit: Agilitas, qua celerissime circumquaque se trahet; ac tandem Claritas, qua splendescit, ut Sol, & sicut splendor firmamenti.

ACTUS HOMINIS, ET OFFICIA.

Verum actibus suis veram illam felicitatem homines consequuntur, qui ut aiebat Bernardus, semina sunt aeternitatis. Sed quia prima, & generalis humanorum actuum conditio est, ut à voluntate procedant, nullum invenire licet, qui liber, & voluntarius non sit. Est enim voluntarium, quod est à principio intrinseco cum cognitione finis. Per potentiam nullam potest inferri violentia voluntati in actu ab ea elicitio, licet cogi possit quantum ad actus, quos imperat, & ab aliis potentiis eliciuntur. Unde quae per motum agit, voluntaria quidem sunt simpliciter, licet conditionate possint dici involuntaria. Ut quilibet voluntatis actus perfecte liber sit, necessario exposcit in voluntate potestatem agendi, & non agendi; eam tamen reicio indifferentiam, quae se habet ad bonum, & malum, videturque solum pertinere ad statum accidentalem libertatis, quem in nobis viatoribus habet. Ex quibus rite concluditur hominem in statu naturae lapsae pollere vera libertate indifferentiae.

EORUM.

Actiones humanas moralitas quoque committatur. Haec nihil aliud est, quam convenientia, aut disconvenientia cum recta ratione, & immutabili veritatis regula animis omnium indita, vel ut alii loquuntur, sita est in relatione actus liberi ad regulam suam. Convenientia in actu honesto, in turpi vero disconvenientia reperitur; atque hinc habes duas moralitatis species, bonitatem, videlicet, & malitiam. Bonitas consistit formaliter in respectu transcendentali ad obiectum, ut consonum regulis morum, malitia autem è contrario. Actus exterior, qui est mera executio interioris actus voluntatis, non addit illi bonitatem, vel malitiam simpliciter. At ille actus quicumque sit non potest esse omnino indifferens in individuo. Ecquid vero sit illa cordis scientia, quae actus bonitatem, aut malitiam indigitat, modo videamus.

CONSCIENTIA

Conscientiae natura, ipso indicante nomine, omnibus nota est. Est enim intellectus practici iudicium dictans de bonitate, aut malitia eorum, quae hic, & nunc à nobis agenda sunt. Partita est à Theologis in certam, dubiam, probabilem, & erroneam. Atque ut ceteras relinquam, de quibus vix ulla controversia est, quid de probabili dignum asseram? Porro eam habere locum suum in actuum nostrorum directione, dum certa desunt, in dubium verti non potest, sed in rebus dubiis & in opinionum conflictu, non est licitum secundum opinionem minus probabilem operari, probabiliori parte relicta, eodemque iure quando in materia morali, quae periculo letifialis peccati subest, duae opiniones aequae probabiles occurrerint, tutior est eligenda. Sed haec firmare Adversarios acriter confutare sint, quorum doctrina his placet.

quibus vivendi licentia non displicet. Obscunt vero caeteri, quibus melior sententia insedit, & qui Casuistarum probabilitatibus pietatem peremptam, Evangelium corruptam, ac suis laxitatibus latissimam perditissimam perditionis viam apertam detestantur. Quare ut cum Divo Augustino loquor nullo de re tanta plura dicere. Cum istis non tam disputationibus, quam orationibus est agendum.

VIRTUTES.

Nihil profecto est, quod magis hominem deceat ad coelestium, quam virtus. Haec bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit, est enim bona qualitas mentis, qua recte vivitur; qua nemo male vititur, quam Deus in nobis sine nobis operatur. Quum dentur ad operandum, in potentis animae residere nemo unus inficiabitur. Itaque intellectus, ut mobilis à voluntate per affectum boni honesti, & moralis, est subiectum virtutis. Praeterea virtutes morales aliae acquisitae sunt; aliae à Deo nobis infusae, omnesque imperfectione sua dum sunt, ita invicem connectuntur, ut qui una caret, nullam perfecte habeat; qui vero unam habet, plures habere videatur. Recta partitio est in intellectualem, moralem, & Theologicam. Prima est quae perficit intellectum in ordine ad verum, secunda in moribus intra honestatis terminos continendis tota versatur, ut Prudentia, Iustitia, &c. Tertia Deum ipsum immediate respicit, ut Fides, Spes, & Charitas, de quibus nunc.

FIDES.

Primum, fides Christiani hominis vitae motum inchoat, & aeternam illam, & incomparabilem veritatem eius oculos attollit, ad quam suspirat spes, & charitas complectitur. Virtus est praeclarissima divinitus

tus infusa, qua firmiter his assentimur, quae à Deo revelata sunt propter summam eius veritatem, unde fidei resolutio, quo ad assensum illum firmissimum, quem fidelis Deo praebet sua Mysteria revelanti, fit solum in primam, ac semper manentem veritatem. Ex his habes obiectum formale quod fidei esse primam veritatem in essendo, formale quo eandem veritatem in dicendo, materiale vero omne id, quod ex divina nobis revelatione innotescit.

S P E S.

SED quemadmodum fides regula est intellectus, quae illum regit, & moderatur, ne ad varios errorum scopulos illidatur, sic spes anchora est voluntatis, eam firmam tenens, ac fixam, ne inter huius vitae procellas fluctuet, & à coelestium persecutione desistat. Porro non modo praestantissima, ac nobilissima virtus est, utpote Theologica; sed quoque gratissima, & iucundissima. Sed ubinam tantae spei nostrae perfectio? Quia nimirum regnum Dei quaerit, & tamquam verum, & princeps obiectum aeternam felicitatem respicit. Hinc & ad cuncta bona alia creata se extendit, ut id amplectatur, quo Deus assequi tandem potest. Caeterum divino auxilio firmissime inhaeret, tamquam primae causae ad beatitudinem conducen-
centii, & sub quo bona omnia consequuntur. Reperitur virtus haec in homine quamlibet peccatore, & eius actus plane boni sunt, & commendandi in hominibus etiam iustis, etiam perfecta charitate instructis. At Beati nihil habent quod sperent, ut qui inamissibili bono delectantur. Quid vero de illo dicendum est, cui certae damnationis suae certa facta est revelatio? Puto ego quod spem non habeat Gloriam iucunditatem desiderare poterit, concupiscere poterit, sed sperare non poterit.

CHA-

C H A R I T A S.

Fide, & Spe feliciores est Charitas, quae fidei umbras, & spei suspiria praetergressa, se totam in Deum immittit, Deoque animam foelici glutine iungit, & ei reddit amicam. Igitur Charitas virtus est, quae veram Deum inter, & homines parit amicitiam, quod vel ipsi Gentiles agnovere. Tanta eius perfectio est, ut non modo in genere moris, sed & virtutis, virtutes alias, quaecumque illae sint, in perfectione superet, & tantae amplitudinis capax, ut augeri semper valeat quamdiu in vita mortali sumus; nec agnoscat illum nescio quem terminum à Begardis, & Beguinis confictum, ultra quem progredi non possit. Charitatis necessitatem veri Catholici asseruerunt, quibus plane certum est actum Charitatis interiorum, affectivum, explicitum, ac formalem necessarium esse ad salutem consequendam.

P E C C A T A.

Virtutum inimica sunt peccata, illarumque splendor horum caligine obruitur, atque dum hominem à via veritatis avertit, legis aeternae facit oblitum: Est enim peccatum: dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei aeternam, adeo ut essentialiter sit cuilibet peccato ab illa deviare. Duobus modis constat esse peccatum, si aut illa fiant, quae prohibentur, aut ea non fiant, quae iubentur. Hinc peccatum comissionis, & omissionis. Illud adaequate consistit in tendentia actus humani ad obiectum regulis morum difforme; hoc vero actum positivum voluntatis non exigit. Peccatorum differentiam fateor, ut Heterodoxos refutem, qui Stoicis valde similes peccata omnia paria esse stulte mentiti sunt. Itaque peccatum aliud mortale est, aliud vero natura sua veniale. Primum si hac vita non remittitur, poena aeterna in futu-

32
turum plectendum est; secundum autem ex specie sua poenam hanc non meretur. Hac in re misericordior quam decebat fuit Origenes, qui ipsum Diabolum, & Angelos eius post graviora pro meritis, & diuturniora supplicia, ex illis cruciatibus eruendos, ac Sanctis Angelis sociandos credit. Discedunt ergo maledicti à facie Dei in ignem aeternum.

PECCATUM ORIGINALE.

VERum enim vero peccata omnia, & cuncta hominis mala à peccato originali sunt, & per illud mors intravit in mundum. Adae namque peccatum in universos filios transfusum est, irae, gehenae, & perditionis filios efficiens, qui alioqui nati essent in sanctitate, & iustitia coram Deo. At quum tanta sint peccati huius argumenta, eo usque insauerunt haeretici, ut illius existentiam denegarent, nescientes quod in iniquitatibus conceptus est homo. Huius peccati naturam indigitare, res est perdifficilis, quaestiones bene multas pariens; existimo vero satius esse eam reponere in privatione originalis iustitiae, nobis ex virtute peccati Adae voluntaria, praecipue ut aufert effectum primatum iustitiae, & gratiae sacrificantis, qui est sanctificare animam, & rectificare in ordine ad Deum. Qui ex hac vita cum solo originali peccato decidunt, visione Dei non gaudebunt, non tamen subibunt poenam gehenae, & combustionis aeternae, quinimo qui sic vivere desierunt immatura mors haud obscure demonstrat, neque in doloribus, neque in molestia esse futuros. Quid de hac re senserit Augustinus vix dicere queo, arbitror tamen valde anxium & dubium extitisse, magnisque fuisse cruciatum, angustiis, modo in unam, modo in alteram declinando partem. Quod si mihi certo persuaseris S. Parentem, illius fuisse opinionis, quod parvuli sine baptismo decedentes aeterno igne crucientur, ego tanti Doctoris sen-

33
sententiam veneratus, probabilius existimo illos nec gloriam, nec supplicia habituros.

LEX DOMINI, ET QUAE EX ILLA proficiuntur.

ET quoniam rerum omnium salus in legibus constituta est, peccatum quodcumque homo deviat, si legibus se contineat, quibus vitae suae officia recte instituet; hominum societatem firmavit; ius suum servabit cuique; ac de his tandem docebitur, quibus veri numinis cultum illa eius tuetur, & perpetua foelicitas comparatur. Est autem lex: Ordinatio, sive stabile mandatum ad commune bonum ab eo, qui communitalis curam habet promulgatum. Sed omnium legum princeps, lex aeterna est, ratio nempe illa sempiterna in mente Dei existens, qua res omnes diriguntur. Ab hac lege omnes cum divinae, tum humanae proficiuntur. At quae primum illam nobis demonstrat est lex naturalis, participatio quum sit legis aeternae naturae rationali per inspirationem luminis, & amoris impressa. Ita stabilis est, ut nullam abrogationem patiat; nec vero per senatum, aut populum hac lege liberari possumus. Verum enim vero legem naturalem humanae leges consequuntur, illae scilicet ordinationes ad bonum commune conservandum promulgatae, quarum tanta vis est, ut dissentientes, & repugnantes obliget. Sed ultra legem naturalem, & humanam lex divina necessaria est, quae verum Dei cultum doceat, & illaesam sanctitatem tueatur. Communis huius legis divisio est in veterem, quae inter Israelitas à tempore Moysis ad Christi usque Passionem viguit, & novam, quae à Christo condita usque ad consummationem saeculi perseverabit. Primam Deus auctor eius in Monte Synai dedit Moysi famulo suo congruis constitutam praeceptis, sed tandem abrogata est, & desinit obligare in Christi morte, & resur-

surrectione. Sed non illico fuit mortifera, & aliquando fuit licitum post eius abrogationem sua caeremonialia praecepta servare, licet non necessarium. Mortifera vero fuit destructo à Romanis Hierosolymitano templo, quadragesimo circiter anno post Christi mortem. Huic legi nova lex successit, multo illa perfectior, praecepta moralia, Sacramentalia, & fidei complectens. In illa initium erat, in Evangelio perfectio est, in ea operum fundamenta iaciuntur, hic fidei, & gratiae culmen imponitur.

GRATIA DEI.

Sed quum gratia data sit ut lex adimpleatur, lex vero ut gratia quaeratur, eo me rectus ordo ducit, ut postquam de legibus sermonem feci, de gratia loquar. Quid vero existimes gratiam esse, si praeclarissimis encomiis, veluti totidem definitionibus, non tam naturam, quam nobilitatem explicare me sinas? At quoniam quae hic potissimum gratiae notio quaeritur scholasticis disputationibus viam aperire debet, gratiam nunc appello dona tantummodo, & beneficia supra omne naturae debitum nobis per Christum exhibita in ordine ad salutem nostram. Atque ob diversa quae exhibet munia varias patitur divisiones, quae in Scripturis, & Patribus haud obscure inveniuntur. Quae actualis dicitur, & operans, Dei donum efficacissimum est, quod hominibus confert ut operentur opera bona, noxiis etiam cupiditatibus praessis. A se ipsa gratia efficax est, nec liberii arbitrii cooperatione, aut aliis quibuscumque circumstantiis talis redditur: sed nihil propterea nostrae voluntati obest. Pro viribus hoc firmabo quod in hac re caput est, expeditissimamque ingrediatur ab Augustino inventam viam pro huius gratiae pondere cum libero arbitrio ineunda concordia. Ad initium, progressum, & consummationem boni operis salutaris necessaria est Christi gratia. Fides salutaris,

ris, eius initium, immo ipsi primi credulitatis affectus sunt dona gratiae. Quod ad gratiam sufficientem attinet certum est, quod licet vi voluntatis antecedentis omnibus praeparetur ad salutem, pluribus parvulis non datur. Infideles etiam qui nihil unquam audierunt de Evangelio, nec olim receperunt, nec modo recipiunt gratias, quae ad salutem sufficiant. Longe quandoque abest ab obcaecatis, & induratis, aut ad conversionem, aut ad observantiam mandatorum, aut ad tentationes superandas. Ad ulteriora progrediamur. Pelagianae haereseos ortum plurimi ad Paulum Samosatenum referunt, sed satius, & rectius erit, si ad Origenem in suis Periarchon libris referatur. Kuffinum etiam Pelagianorum signiferum fuisse arbitror, nec Theodorum Mopsuestenum eximendum censeo. Pelagio vero auctore mirum quam longe, lateque sparsa fuerit haec pestifera haeresis.

IMPII IUSTIFICATIO, ET MERITUM IUSTI.

Habet vero Dei gratia interminabiles effectus impium iustificare. Iustificatur ergo peccator per veram, & intrinsecam iustitiam, seu gratiae habitualis infusionem, & nequaquam per imputationem iustitiae Dei, aut Christi. Quod si hoc ita est, ut vere est, sola fides nemini iustitiam conferre potest, etiam si qui non crediderit condemnabitur; multoque minus fiducia illa vanissima, quam reformati decantarunt, ut se caeterosque peccatores à poenitentia liberarent. Verum tamen ut impius homo per gratiam iustificetur, ad hanc iustificationem, mentis affectibus se disponere debet, quibus accedat ad Deum, fide, spe, dilectione, aliisque, quos Tridentina Synodus enumerat, & necessarios reputat. Accedit nunc alius divinae gratiae effectus, meritum scilicet iusti; bona enim opera non praecedunt iustificandum, sed sequuntur iustificationem. Itaque opera iustorum ex gratia inhabitante, ac

movente, facta sunt meritoria de condigno vitae aeternae; sed ad meritum hoc aliqua ordinatio operis ad proemium est necessaria, haecque ordinatione supposita reddet Dominus in illa die iustus iudex redditionem proemii pro meritis. Videant ergo nunc, qui meriti nomen faustum stultissime appellant, quam longe ipsi absint à merito.

VERBUM CARO FACTUM.

Magnum hoc pietatis Sacramentum à saeculis absconditum in Deo omnem humanae mentis vim tam longe superat intervallo, ut nisi fides credat, sermone explicari non possit. Sed illius veritatem haereticis soli inficiantur, quos ego multiplici via refutabo. Itaque venit iam Messias desideratus cunctis gentibus in similitudinem hominum factus, natus in Bethleem Iudaeae ortus magni Herodis aetate, qua ablati sunt Principatus de domo Iudae, & vocatum est nomen eius Iesus. Hunc eundem esse & Deum, & Hominem asserendum nunc est contra Nestorium, qui impie blasphemavit, hoc nomine Iesu duas debere intelligi Personas, alteram Dei filium ante saecula à Patre genitum, alteram Filium Virginis in saeculo natum. Veram assumpsisse carnem contra Manichaeos, quam non aliunde, quam materna traxit ex carne, ex muliere factus absque virili semine contra Ebionitas; inviolatam Matris Virginitatem contra Elvidium firmiter, & catholice assero. At Eutiches incidit in Syllam cupiens vitare Charibdim, qui ut unitatem Personae contra Nestorium tueretur, in oppositum errorem lapsus est, divinam, humanamque commiscens naturam, & in duabus naturis Christum subsistere negans. Errori huic, Apollinaris, & quorum hunc sunt secuti error proprius accedit, quippe, qui Verbum divinum carnem assumpsisse putabant conversione divinitatis in carnem, & non assumptione humanitatis in Deum. Atque

que ut verbo uno caeteros veritatis adversarios confutemus, inviolata fide credere oportet Christum Dominum verum Deum, & Hominem esse, eandem cum Patre divinitatem, & veram nobis consubstantialem humanitatem habentem, duplicem aequae respondere voluntatem; veram animam, humanamque mentem assumpsisse. Ex quibus abunde conficitur unionem illam qua Verbum Divinum est humanae naturae iunctum, Hypostaticam & se, & omnium maximam.

Iam vero conveniens Deo fuit incarnatio, magnam humanae naturae afferens perfectionem, & utilis universo orbi. Sed convenientius etiam fuit Filium incarnari, quam Patrem, & Spiritum Sanctum, naturamque humanam assumi, quam angelicam. Verum quum eam statim post Adae lapsum ab initio mundi assumere potuisset, sive ad finem usque saeculorum assumendam relinquere, necessum fuit, ut se in medio annorum notum faceret. Sed quanta huius incarnationis necessitas! Profecto salvum numquam possemus, nisi Unigenitus Filius Dei humani generis misertus Coelos disrumperet, & descenderet, ac tandem moreretur pro nobis. Cuius satisfactionis tantum praetium est, ut non modo condigne pro totius mundi delictis satisfaceret, sed redemptae quoque mercedis meritum praetii dignitas supergressa fuerit. Porro Christus valoris simpliciter infuit pro nobis exhibuit satisfactionem; & factus obediens usque ad mortem, & mortem crucis passus, ne in aeternum moreremur, meruit, & quod mirabilius est, tradens in cruce spiritum, & sacro suo aperto pectore moriturum, fontes unde delicta nostra ablueri, ac delere possimus, emanarunt, sacramenta videlicet, quae pandita sunt hominibus, ut eximio hos Incarnationis, ac redemptionis munere, & merita ipsa, & meritorum proemium assequi tandem in aeternum valeamus. Ergo ut de illis agam rectus ordo cogit.

Sacramenti nomen à Patribus fuisse usurpatum , & à nobis retineri debere principio ipso statuo , ut vel sic haereticorum insaniam oppugnemus , qui vel ipsum nomen Sacramenti de medio tollere conantur. Intelligimus per illud , signum quoddam sensibile Dei gratiae à Christo institutum , quodque nostram operatur sanctificationem , dum Christi Iesu nomine , & ritu sacro exhibetur. Septenario clauduntur numero , omniaque rebus , & verbis constituuntur , illis materiae , istis vero formae locum habentibus. Verba vero quibus sacramenta efficiuntur non sunt promissionis , aut concionatoria , sed vere effectiva divina virtute eius , quod significant. In lege naturae , & scripta , sua extitisse sacramenta firmiter assero. Porro non modo pro parvulis , sed pro adultis quoque signaculum quoddam gratiae fuit in naturae lege , quo peccatum originale , & actuale delerentur. Sane circumcisione ipsa Abraham omnium primus quadringentis annis , & ultra ante Moysen usus est. Sed huic in lege scripta manenti plura alia sociata fuere in hac lege sacramenta , ad tria potissimum genera reducta. Praestantiora tamen his omnibus fuerunt , quae nobis cunctorum servator Christus contulit , illorum omnium verus , & immediatus institutor , quamquam hoc certum de fide non audeo pronuntiare. Sed & in eo quoque à veteribus Christi sacramenta discriminantur , quod quum gratiam ex opere operantis efficerent , haec illam operentur virtute quadam propria à Iesu Passione accepta.

Ecquis vero nunc existimet novae legis sacramenta puras extare conditiones , quibus praesentibus Deus conferat gratiam ! Eorum profecto institutio aliquid exposcit causalitatis genus. Non contemnendis tamen argumentis certo mihi persuasum est instrumentaliter physicae gratiam operari. Quorum proprium sit primam

mam gratiam , quorum vero secundam efficere , explicabo. Sacramentorum minister solus homo viator est de lege ordinaria , Angeli vero extraordinaria potestate administrare illa possunt. Vere & valide conficiuntur à ministro , quamlibet scelestissimo , reus tamen peccati mortalis erit , si Minister sit solemnitatis. Necessaria in eo intentio est , ut ratum faciat sacramentum , quo non irrisoriae operetur , sed revera id in operatione intendat , quod facit Ecclesia debitae materiae veram applicando formam. Atque si in hac re opinionem validiorem indigitare placet , existimo , verum , validumque sacramentum confici , ab illo Ministro , qui dum se tamquam Ecclesiae ministrum exterius gerit , ac debitae materiae evangelicam serio iungit formam , intentionem retinet , interiusque tamquam Ecclesiae ministrum agere nolit , dicens in corde suo , nolo facere , quod facit Ecclesia. Itaque nulli Ecclesia tamquam fidei articulum contrarium stabilibit. Antiqui PP. inter quos D. Augustinum , & Ang. Praeceptorem annuero , sacramentum hocce haud obscure probarunt. Quod si in huius rei firmitudinem Theologica momenta desiderantur , bene multa adsunt , & splendida. Theologi ergo recentes veritatem non attigerunt , quum vehementer allucinati vociferant , opinionem hanc eandem esse cum haereticorum dogmate à Tridentina Synodo proscripto. Hunc quidem errorem si ab eis non removero , tunc me stultum iudicato. Sacramenti subiectum homo viator est , in quo si adultus fuerit , positiva illud recipiendi intentio requiritur. Ecque vero ? nempe habitualis in his sufficit , qui sua fruuntur ratione. Non tamen propterea eorum sententiam reicio , qui sacramentum serio exterius receptum valere asserunt , & si intentionem suam recipiens retinuerit. Non contemnenda quidem opinio est , licet ministrantem inter , & recipientem discrimen haud leve sit. Quenam Sacramenta imprimant caracterem , dicam.

Sacramentum hoc Christus instituit. Sacramentum est regenerationis per aquam in verbo. Institutionem vero hanc Ante-Christi passionem, quum nempe Iesus à Ioanne in Iordane baptizatus est, factam agnovimus. Designata est aqua vera, & naturalis pro huius Sacramenti materia, quam benedici, & consecrari debere Patrum traditio monstrat. Proxima autem est ablutio, quae sive effusione, sive immersione, sive aspersione perficitur. Verum namque quocumque ex his modis conficitur Sacramentum. Porro ubique Maiores nostri per duodecim priora saecula baptismum per immersionem contulerunt. Ab ipsis Apostolorum temporibus sumpsit exordium. Sed rationabilibus causis hunc abluendi morem in alium Ecclesia Latina commutavit, iamque ritus apud Latinos invaluit per effusionem abluendi, quem iuvene saeculo XIII. nonnullae latinorum Ecclesiae amplexatae sunt. Quam Graeci per antiquam adhibent formam haec est: Baptizetur servus &c. in nomine Patris, &c. eaque ratum conficiunt Sacramentum. Apud Latinos vero haec est conveniens forma: Ego te baptizo in nomine Patris &c. Apostolos hanc formam adhibuisse probabilis mihi est. Quo circa nec saeculis, quae Apostolorum temporibus subsequuta sunt, valuit, nec iis temporibus valet in solo Christi nomine collatum baptismum. Quod si Caietano me repugnare obicias, fatebor. Non mihi licebit Caietano repugnare, cui Magistro suo repugnare licuit?

Iam vero Episcopi, atque Presbyteri, ritu solemniori hoc Sacramentum conferre valent, nempe Ministri sunt ordinarii huius Sacramenti; Diaconi autem ex Delegatione. Si vero de Sacramenti validitate sermo sit, conferri à quacumque potest, sive viro, sive muliere, sive Pagano, sive haeretico. Subiectum insuper sunt omnes filii Adae, qui in illo peccaverunt. Hos

la-

lavacro tingere sacro, & licitum, & necessarium est. Quo circa quae veritate Caietanus dixerit illis votum sufficere à Parentibus conceptum deficiente eos baptizandi opportunitate, non intelligo. Illos vero baptizare, qui à Parentibus infidelibus nati sunt, quandiu sub eorum potestate sunt, his reluctantibus non licet, casibus his exceptis, qui excipi solent, & adducam. Id tamen dictum nollo de iis, qui de servis parentibus, atque mancipiis nascuntur. Etiam si nulla in infantibus dispositio necessaria sit ad baptismatis susceptionem, pene multas in adultis necessarias esse maiores nostri iudicaverunt, quas si placet monstrabo. Peccata omnia hoc sacramento delentur, gratiaque, & virtutes per illud conferuntur. Quod si cum delicto suscipitur, suum quoque illo recedente sortitur effectum, quo peccata cuncta, sive quae baptismum praecesserunt, sive quae illius committantur receptionem, abolentur. Ea vero, quae Baptismate iam suscepto, & nondum ablato obice fuerint commissa, non nisi Poenitentia deleri quaerunt.

CONFIRMATIO.

Sacramentum hoc nomine confirmationis frequentissime Patres indigarunt. Est enim sacramentum novae legis, quo baptizatis praeter gratiam sanctificantem ius quoddam confertur ad auxilia specialia, quibus opus est, ut firmiter quis credat, & publice fidem profiteatur. Novum contra hoc Sacramentum extitit XVI. saeculo Lutheri, ac Calvini Dogma, atque hi non modo sacramenti veritatem, nudato, ut aiunt, capite, oppugnarunt, sed materiam quoque sive essentialem, sive accidentalem dixerunt nulle lacesserunt. Catholici vero certam, veramque in hoc sacramento fatentur materiam. Sed eorum non una opinio est. Mihi persuassum est, manuum impositionem per XII priora saecula, hisque etiam temporibus essentialem esse confirmationis materiam; non tamen prop-

F

te-

terea unctionem à sacramenti huius materia me excludere arbitris, nempe in manuum impositione, & chrisma unctione adaequatam, ut aiunt, materiam existimo reponendam, Chrisma autem benedicti, & consecrari debet à solo Episcopo antiquissimum iuxta ritum. Jam vero ecque sit germana huius sacramenti forma, etiam apud catholicos in litte est. Illis ego vehementer assentior, qui firmis argumentis sibi persuadent à Christo ad XII. usque saeculum, & modo etiam orationem illam, quam extensis versus confirmandos manibus Episcopus profert, quaeque in Romano Pontificali chrismae praecedat unctionem, esse apud Latinos Confirmationis forma. Quid ita; an verba illa: signo te, signo crucis, &c. characterem formae non habent? Profecto non habent, nec semper in Ecclesiis Occidentalibus verba haec in Confirmationis dispensatione adhibita fuerunt.

Ad ministrum quod spectat, etsi solus Episcopus sit, Praesbiteri tamen à Summo Pontifice delegari possunt ad conferendam confirmationem. Sane, apud orientales christianos illud simpliciter Presbiteri ministrant. Sed hanc per Praesbiteros confirmandi morem, ubique apud occidentales ante saeculum nonnum desuisse antiquitatis monumenta docent. Nec vero unam, aut item alteram post ea tempora factam dispensationem viris gravibus id asseverantibus, inficiabor. Adrianum namque Summum Pontificem indignant, qui poenitentibus fratre Gulapione, & Francisco de Angelis annuit, ut Sacerdos ex illis regularis cum chrisma ab Episcopo consecrato posset confirmare in Indiis, & regionibus ubi Episcopi desunt. Id quod factum etiam contendunt à quo nescio Pontifice (nesciunt similiter illi) cum viris nonnullis, qui è societate Iesu dicebantur. Nihil certe est quod historicis illis in re, quae unius est facti, reponam; crede vero, multa, eaque firma esse, quae dispensationes istas in dubium tradunt, & suppositionem. Omnia solique

ho-

homines baptizati confirmationem valide recipere possunt. Sed antiquitus in quibusdam occidentis Ecclesiis praecipue in quibus illiberant canones observantur, nonnullis fuisse negatam, in aliis vero indiscriminatim Neophitis esse collatam ipsa monstrat antiquitas.

EUCHARISTIA.

Sacramentum hoc in quo summo divini amoris miraculo verum Christi corpus, & sanguis sub panis, viniq; speciebus latent, vel ipsis consentientibus Novatoribus legis gratiae verum Sacramentum est. Alios vero, qui Mysteri huius tentant illudere veritatem, nullo ego modo oppugnabo, & si Ecclesiae non crediderint ipsorum haereticorum afferam testimonia, quibus refragari nulla via poterunt. Igitur fide catholica, certa est, vera, & realis corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia praesentia, quae per totius panis, & vini in Christi corpus, & sanguinem conversionem perficitur. Instituit Iesus-christus Sacramentum hoc in nocte coenae factae cum discipulis suis pridie quam pateretur, & ut eum institueret, panem azymum consecravit. Hinc consistunt Theologi convenientiorem esse panem azymum ad consecrationem, & si uterque panis azymus, & fermentatus valide consecrari possit. Porro Ecclesia Latina per VI. priora saecula utroque pane in discriminatim in sacrificiis usa est. Sed ante Photii tempora fermentatus panis ab Occidentalibus Ecclesiis exclusus fuit. Orientales vero Ecclesiae fermentato pane his etiam temporibus utuntur, Armenos si excipias, & maronitas, qui azymos panes modo etiam consecrant. Verum ritum suum unaqueque servet Ecclesia. At vinum altera est Eucharistiae materia, quod aqua modicissima temperari debet. Aquarios hic, & Armenos adversarios habemus, illis aquam puram, istis vinum purum consecrari debere contententibus. Sed opposita praxi, quam ubique Gen-
tium

44
Ecclesia Catholica amplexata est, satis illi sunt oppugnati. Ad formam modo veniamus, qui in his dominicis verbis agnoscitur: Hoc est enim corpus meum. Hic est enim Calix, &c. quibus non historice tantum, sed assertive etiam prolatis, totum mirabile transubstantiationis opus perficitur. Præmissum solum panis, postremis vero vinum solum consecratur. Nec tamen singula illa verba, quae Liturgiae pro calice consecrando praescribunt, ita necessaria sunt, ut qualibet voce praetermissa irrita consecratio censeatur. Quo circa his tantum verbis: Hic est Calix sanguinis mei, perfici existimo calicis consecrationem. Eucharistiam conficere illi soli possunt, qui per manuum impositionem Sacerdotes inaugurati sunt. Abeant ergo pudenter Montanistae, qui tantum mulieribus indulgent, ut apud illos Sacerdotio honorentur. Sed & illam dispensare solis Sacerdotibus competit; Diaconis autem ex indulgentia, quod in Ecclesia Graeca, & Latina quondam perspectum est; quinimo minores Clericos, atque Laicos, & aliis, & sibi illam privatim administrasse antiqua momenta perhibent. Hispani primi fuerunt, qui acriter laborarunt in Synodis praesertim Caesaraugustana, & Toletana I. ut morem hunc, qui saevientibus persecutionibus in occidente plurimum invaluerat de medio tollerent. Atque edita haec ab Hispaniorum comitiis decreta, omnes occidentis Ecclesiae fuerunt amplexae. Itaque laici his temporibus apud Latinos nec sibi nec aliis, absentibus Praebitero, & Diacono, licet mortis periculum urgeat, Eucharistiam valent impertiri, quod ut facerent pontificia indigent dispensatione.

Adulti omnes saltem semel in anno Ecclesiae praecepto Eucharistiam sumere debent. Sed nulli omnino Eucharistiae manducatio ita necessaria est, ut sine illa salutem consequi non possit. Quod vero sub utraque specie illam sumant, nullo divino prae-

cep-

45
cepto obstricti sunt. Certum tamen est ab Ecclesiae incunabulis ad saeculum usque XII. fideles etiam laicos publicis in conventibus ordinarie sub duplici specie panis, & vini communicasse. Non quod negem Maiores nostros sub una etiam specie Eucharistiam aliquibus dispensasse. Sed hi nulla Ecclesiae lege prohibebantur ne duplicem acciperent. Verumtamen iustis de causis ipsa Ecclesia, laicos, etiam Clericos non conficientes usu calicis inter dixit. Inficiari tamen non audeo iis etiam temporibus usum calicis Ecclesiam laicos posse concedere, passim vero illud concedere non expedit, videlicet, quae huius naturae factae fuerunt dispensationes urgente necessitate tandem sunt revocatae. Propiores huius Sacramenti effectus sunt gratia, & adeptio vitae aeternae. Iam vero Eucharistiam instituens Christus verum obtulit sacrificium, quod etiam ut facerent, praecepit Apostolis. Propitiatorium vero est, & non pro viventibus modo, sed pro iis quoque, qui cum pietate dormierunt potest offerri.

POENITENTIA.

Dives in misericordia Deus Poenitentiae instituit Sacramentum, quo peccata quaeque deleantur, quum à mortuis excitatus in Apostolos insufflavisset dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis, &c. Miseri ergo qui in Petro, Petram non intelligunt, & nolunt credere datas Ecclesiae claves Regni Coelorum. Tres à peccatore ad Poenitentiam accedente necessario exiguntur conditiones, quae huius Sacramenti sunt veluti materia, videlicet cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio. Sed eas singulatim modo perscrutemur. Principio quidem contritionem perfectam nempe hominem Deo reconciliare, priusquam Sacramentum Poenitentiae suscipiatur, ita certum est, & haereticum plane sit, quod huic adversatur Dogma. Accedens ad Sacramentum Poenitentiae consteri-

de-

debet peccata sua. Confessio haec à Christo instituta est, unde falluntur, qui illius usum, ut nunc fit in Ecclesia Romana, praecipuum esse dicunt à Concilio Lateranensi IV. Sub Innocentio Papa III. Itaque quovis in saeculo auricularem confessionem in usu fuisse testes sunt per saecula omnia locupletissimi. Veram enim vero quovis saeculo Sacramentalis confessio soli Sacerdoti fuit facta, & vero fieri debet. Numquam tamen aliquo divino praecipuo mandatum est, ut occulorum criminum publica sit accusatio; & licet delicta, quae Ecclesiae fuerant scandalo poenitentis antiquitus palam fuissent confessi, aliaque occulta crimina, Episcoporum consilio id faciebant, nec quiaque hac in re liber erat.

Pro peccatis etiam post confessionem poenitens Deo debet satisfacere, propterea que acceptare tenetur in iunctam sibi à confessario satisfactionem, ut aliqui absolvendus non sit. Satisfactoria opera poenalia esse debent, & afflictiva, quibus modo post obtentam absolutionem satisfacere potest, licet antiquitus ministri coegerint poenitentes ad impleendam satisfactionem, priusquam illis impenderint absolutionem. Poenitentia haec, & satisfactio publica quondam erat. Multa hac de re dicere non renuam; interea credo, his etiam temporibus publica peccata publica poenitentia castigari debere. Aequum tamen est, ut Episcopus consulatur, apud quem suprema potestas est publicae iniungendi poenitentiae, hasque in privatas commutandi. Iam vero huius Sacramenti formam, absolutionem esse certum de fide est. Posita est in verbis illis: Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris &c. Versatur haec circa quaecumque peccata, quae poenitus tollit, & delet vere poenitentibus, & quibus sic se habeant, debet adhiberi; factum tamen novimus Ecclesiam quondam aliquibus in locis idololatriae, homicidii, & machiae reis, etiam in exitu vitae positis, absolutionem Sacramentalem denegasse. Sed tandem

pax

pax illis data est. Praescripta superius forma utens Sacerdos ipse auctoritate à Christo data peccata relaxat, non vero declarat illa à Deo esse dimissa.

EXTREMA-UNCTIO.

Exeuntium hoc Sacramentum sic Latini aptissime explicant: Misticum, sacrumque signum à Christo Domino institutum, quo per olei benedicti unctionem, & praescriptam formam aegrotantibus baptizatis gratia sanctificans confertur, eos confortans, ut animi molestias aequo animo ferant, frangantque Demoni insidias, nec non ab infirmitate liberentur, ubi animae salutis expedierit. Sacramenti huius existentia ex canonica Iacobi Epistola invicte demonstratur, eandemque perpetua SS. PP. concordia fecit esse perspicuam. Multiplex oleo isto unctio fieri solet, sed una sufficit, ut essentia Sacramenti salvetur. Optimo tamen iure à Romana Ecclesia statutas septem dicimus communiter receptas unctiones. In huius Sacramenti dispensatione aliqua verborum forma adhibenda est, quae deprecatis verbis est exprimenda. Atque hac deprecandi forma multis ab hinc saeculis Latini utuntur, & Graeci. Ministri vero illius aetate maiores non sunt, sed Sacerdotes, & iure strictiori Episcopi; & unus solummodo validum conficit Sacramentum. Sed hoc Calvinus vertit crimini, quasi divinum aliquod esset mandatum, quo pluribus Sacerdotibus opus sit. Ne idcirco Ecclesiam quondam praecipuisse negabo, ut plures Sacerdotes ad iungendum infirmum simul convenirent. Infirmis tantummodo, hisque adultis Sacramentum hoc est conferendum. Haec Latinae Ecclesiae praxis est & Scripturae, & Traditioni conformior, quidquid de Graecorum more sit nullibi expresse à Catholica proscripto. Multiplicem Sacramenti huius effectum assignabo.

OR-

ORDO

Excellentissimum est Ordinis Sacramentum, quo homini potestas confertur, actus publicos, & hierarchicos exercendi in Ecclesia. Est enim Sacramentum novae legis à Christo Salvatore institutum, quo traditur potestas consecrandi, offerendi, ac ministrandi corpus, & sanguinem eius, nec non &c. Ab ipso nascentis Ecclesiae exordio usque modo septem ordines in Ecclesia Latina fuere, quem quidem numerum nullum omnino Theologorum dissidium subvertere unquam potuit. Clericalem vero tonsuram Ordinem non apello, eam tamen institutam video, ut à Laicis Clerici secernerentur. Quo circa non omnibus promiscue, sed his, qui certis sint dotibus praediti, conferri debet. Probabilissima opinio est, quae quatuor minores ordines, & Subdiaconatum, vera, & propria Sacramenta esse defendit. Diaconatum etiam verum, & proprium Sacramentum esse pronunciat. Ad Presbyteratum quod spectat, verum pariter est Sacramentum, & in illius collatione confertur Presbyteris à peccatis absolvendi facultas, eaque retinendi: Episcopatus insuper Sacramenti excellentiam habet. Intelligitur autem Episcopatus nomine pastoralis dignitas, quae Sacerdotio supereminet. Igitur & Presbyteris, & plebe superiores sunt Episcopi, & in utrosque iurisdictione possunt, quam à Christo immediate habent. Quid autem sibi voluerit Bellarminus, iurisdictionem hanc vere ipsis à Christo concessam asserendo, sed illis solum mediante Papa conferri contendendo, haud intelligo. Multoque magis errare video Ioannem de Turrecremata, qui etiam Apostolos creditit immediate à Petro suam habuisse iurisdictionem. Ad conferendum Episcopatum eo Ecclesiae mandato tres Episcopi sunt necessarii; sine illis tamen Episcopatus substantia salvatur. De Episcoporum necessitate non licet dubitare. Iure namque divino requiritur, ut ab Episcopis par-

ti-

ticulares regantur Ecclesiae. At ad quos eorum electio spectat? Non una semper hac in re fuit Ecclesiae disciplina, scilicet, prioribus saeculis, cum laicorum vota, tum clericorum desideria passim ad electionem expectabantur. Sed supremum electionis dominium poens solos erat Episcopos. Verum tamen posteriori iure cum populus, tum Comprovinciales Episcopi ab electionibus arcentur, atque variis Pontifices inter, & Reges concordatis variae mutationes accidere; at ubi Episcoporum nominationes Principibus concessae sunt, necessaria est Summi Episcopi confirmatio. Nominationem vero hanc Hispaniarum Regibus fuisse concessam pro Regno cui praecerant anno 681. à Concilio Toletano XIII. compertum plane est. Verum enim vero Presbyteros quosdam simplices Episcopi in pagis, & villulis suae ditioni subiectis habebant, Chorespiscoporum nomine appellatos, qui Ecclesiastica hac dignitate insigniti, multis Episcoporum officiis fungebantur.

Propriam materiam, formamque ordo quisque habet, quas singulatum quaerenti dabo. Ministerium huius Sacramenti ordinarium, solum Episcopum esse, omnium consensio suadet, ab eoque quamlibet haeretico publice damnato, & è fidelium cetu nominatim eiecto collatam ordinationem nusquam Ecclesia irritavit, dummodo secundum ritum à Christo institutum illa sit peracta. Utrum vero id fidei catholicae eertitudine certum sit pronuntiare non audeo. Hactenus nullo Ecclesiae decreto, quaestio tam perplexa & obscura decissa est. Sed tam diuturnus multorum Doctorum consensus nobis est instar legis, quam dissensu nostro temerare; nec volumus, nec vero debemus. Mulieres ab ordinum susceptione arcendae sunt, in eisque tentata ordinatio erit irrita. Sed nec ullam à mundo condito ad haec usque tempora invenire licet, quae inter veros Religionis cultores sacerdotali officio functa fuerit, aut ex obeundo inservierit.

G

MA-

MATRIMONIUM.
Matrimonium, quo communi iugo nubentes sese per mutuam corporum traditionem subiciunt, honesta res est, & quae rei sacrae signum est. Ipsi namque in lege Evangelica gratiae productio annexa est; unde concluditur esse legis gratiae verum Sacramentum. Certum est substantiam eius absque carnali commercio integram manere, verumque esse Sacramentum matrimonium illud, quo probatum continentia virum uxor ducit, ut virginitatem seruet illibatam. Sed rem hanc exemplis mille monstrabo. Circa materiam, & formam huius sacramenti disputant Theologi. Ego vero clarissimorum hominum iudicium sequutus, legitimum civilem contractum eius esse materiam statuo. Formam vero ea, aut similia verba: Ego vos in Matrimonium coniungo, in nomine Patris, &c. Quid ita? Sacerdos in illa verba proferens est huius sacramenti Minister? Plane est. Non enim hic alius quaerendus est Minister, quam qui sit Ecclesiae Minister, quod tanto constantius pronuntio, quanto firmiter huius opinionis argumenta video. Matrimonii unitati opposita est Polygamia, viri nempe unius cum pluribus simul uxoribus coniugium. Nec tamen quod Heterodoxis placuit antiquos Patriarchas reos adulterii asserant Lutherus vero, alique praecipui eius gregales, nullo, aut divino, aut naturae mandato prohibitam esse Polygamiam, persuadere tentarunt, at his male audientibus, id infamiae à suo Patriarcha Lutherani tollere conati sunt. Sed ego eos propriis Lutheri momentis oppugnabo, quae publici iuris olim facta sunt. Clandestina connubia, quae semper Ecclesia detestata fuit, post Tridentinam synodum nulla remanserunt. Itaque necessaria est Parochi praesentia, alteriusve Sacerdotis, de ipsius Parochi, aut Ordinarii licentia, & duos saltem testes ex synodi decreto. Irrita autem non sunt, quae Filii familias inuitis parentibus, aut

aut inconsultis, contraxerint, quamquam olim Ecclesia suis legibus matrimonia haec invalida reddiderit. Validum insuper est per procuratores ininitum coniugium, modo condiciones habeat, quae requiruntur. Interèa ut certum habeo matrimonii, quod tantum contractus civilis est, Magistratum saecularem, causas assumere posse, & impedimenta constituere. Sed euectum cum illud fuerit ad sacramenti dignitatem sub Ecclesiae potestate est. Id etiam de dispensatione dictum habeto. Atque quum hoc conceptis verbis in synodo Tridentina, Ses. XXIV. can. IV. habeatur, fallitur aperte Launoius dum contendit Ecclesiae nomine, quo concilium utitur, fidelium cunctorum coetum intelligi debere, prout Principes complectitur, & Politicos Magistratus. A quo autem id didicerit, haud capio, nempe, nullus ante ipsum hoc docuerat. Nec tamen propterea Principum ea in re potestatem in examen adducere tentamus, id unum constantissime propugnantes, Matrimonia auctoritati Sacerdotali esse subiecta; inutilia igitur sunt argumenta mille, quae ad fastidium usque Launoius repetit. Atque de rebus Theologicis sat superque.

*Vi. Fr. Michael Pujades
 Provincialis.*

Imprimantur,
 Pareja.